DE LIBRIS AMORUM

OVIDIANIS.

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE SODALIS.



BUDAPESTINI. MDCCCXCVIII.

R. LAMPEL (PH. WODIANER ET FILII).

BIBLIOPOLAE AULAE IMP. ET REG.

958—98. Budapest. Nyomatott Wodianer F. és Fiainál.

VIRO CLARISSIMO

AEMILIO THEWREWK DE PONOR

PRAECEPTORI OLIM MEO

PIETATIS CAUSA.

CAPUT I.

De Amorum libris recte interpretandis.

P. Ovidius Naso, summus poeseos Romanae artifex, procul dubio in amatorio carminum genere maxime excellit neque quidquam scripsit, quod omnibus numeris ita absolutum ingenioque eius magis proprium dici possit, quam *Epistulae Heroidum* atque *Ars amatoria*. Rem autem ita se habere non solum nos affirmamus, sed etiam poetam ipsum ita iudicasse inde elucet, quod, cum procul a patria, separatus relictusque a suis, morbo gravi laborans in ultimis Ponti rigidi oris iaceret cumque mille haberet causas, cur carmina sua amatoria, quae auctori maxime nocuisse constat, exsecraretur, erexit tamen animum eius superbia illa „meritis quaesita" poetisque Romanis propria et in epitaphio, quod in tertio Tristium libro legitur, *) non commemoravit opera sua epica, quibus olim Augustum sibi conciliare voluerat, ut in aula imperatoria successor Varii, Vergilii Horatiique fieret, ne verbo quidem mentionem fecit *Metamorphoseon* et *Fastorum*, sed simpliciter tenerorum se lusorem amorum nominavit illosque, ne sepulcrum silentio praeterirent, oravit, qui amoris voluptates et tormenta ipsi experti essent. **)

---

*) Vide Trist. l. III. 3, 73–76:

Hic ego qui iaceo, tenerorum lusor amorum,
  Ingenio perii Naso poeta meo.
At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
  Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.

**) Quamquam libros Metamorphoseon detrectare nolumus, tamen fatendum est totum opus nihil esse aliud nisi seriem fabularum in poesi antiqua iam pridem tritarum, quae tantum propter mira narrationis poeticae artificia novo splendore fulgeant. Quod autem ad Fastos attinet, poeta certe nullum sibi eligere potuit argumentum, quod ab ingenio eius magis abhorreret; is enim, qui, verus „aureae Romae" filius, in prisca Romano-

Sed, ut omnes scriptores, qui nimium iuvenes opera sua publici iuris faciunt, ita etiam Naso imitando versus facere incepit, quare in tribus Amorum libris, qui prima poeseos Ovidianae rudimenta iure dici possunt, saepissime a Tibullo et Propertio pendet. Quo tamen minime excusatur virorum doctorum neglegentia, qui sibi satisfacere videntur, si Ovidium in istis elegiis Tibulli Propertiique vestigia secutum nihil aliud egisse, nisi, ut lascivas quasdam fabulas amatorias nullo modo inter se cohaerentes narraret, neque quidquam, quod poeta ipse expertus sit quoque veros animi sensus arguat, his libris inesse severo vultu pronuntiant. In quo maxime miramur, quod illi rigidi morum censores talem sententiam ferre ausi sunt, priusquam id, quod maximi est momenti, facere sibi proposuissent,*) scilicet ut haec carmina via ac ratione quae vocatur philologica omni ex parte interpretarentur. Quo fit, ut omnes, qui Amorum libris et Arti amatoriae aliquatenus operam navare volunt, editionum commentariis instructarum ope miserrime destituantur. Vere habent sua fata libelli; videtur enim iniquum Augusti iudicium, quo ista Ovidii carmina bonis moribus periculosa esse declara-

---

rum simplicitate nihil nisi rusticitatem (cf. Art. am. l. III. 113—128) vidit, is sibi proposuit, ut enarraret fabulas nimium simplices atque ineptas ad dies Romanorum festos pertinentes! Unde factum est, ut, quamquam Ovidius serio agere voluit, tamen e Fastorum versibus saepe εἰρωνεία quaedam emicare videatur, praesertim cum easdam fabulas idem poeta iam in *Arte amatoria* lascivum in modum attigerit.

*) Errant certe vehementer, qui Ovidium lasciviorem, quam ceteros elegiarum scriptores fuisse affirmant. Amatoria enim antiquorum poesis maxima ex parte meretricibus erat sacrata praecipueque elegiae *nequitiam* quandam fuisse propriam omnes scimus. Ne id quidem, quod nonnulli volunt, res lascivas ab Ovidio minore cum elegantia quam ab aliis esse tractatas, iure obiici potest, praesertim cum a puerorum amoribus celebrandis eum omnino abstinuisse notum sit, unde poetam nostrum non ita corruptis moribus fuisse turpitudinemque huiuscemodi amoris inter omnes Graecorum Romanorumque poetas solum sensisse satis elucet, quod merita laude praedicare interpretes eius huc usque omiserunt. Mea quidem sententia ea erat Ovidii unica culpa, quod in *Arte amatoria*, ut ita dicam, speculum *aureae Romae* obiecit; tale autem carmen eo potissimum tempore, quo Augustus priscos integrosque mores restituisse sibi videbatur, nihil aliud esse poterat, nisi irrisio pietatis a principibus simulatae, audacissimum libertate amissa facinus, quod nemo ferre potest impune.

verat, viros doctos falso quodam pudore affectos usque ad hodiernum diem prohibuisse, ne in his libris accuratius explicandis ea, qua par erat, diligentia desudarent.

Quod igitur alii omiserant, hac disputatione nobis faciendum proposuimus. Tractabimus enim tres Amorum libros eo potissimum consilio, ut illa carmina, quae inter se cohaerere videntur, in unum colligamus itaque futuris Ovidianae poeseos commentatoribus laborem interpretandi reddamus faciliorem.

CAPUT II.

De carminibus non amatoriis.

Carmina Amorum in tribus libris sine ullo discrimine dispersa in ordinem quendam redacturi nihil nobis prius faciendum putamus, quam, ut poemata proprio sensu erotica ab elegiis non amatoriis segregemus. Haec autem carmina partim eo consilio scripta sunt, ut, cur Ovidius eroticum poeseos genus sibi potissimum elegisset, lectori explicarent, partim nullam ob aliam causam Amorum libris inseruntur, nisi quod distichis elegiacis sunt composita.

Itaque in praefatione libri secundi (II. 1.) poeta confitetur, se primum heroas bellaque cecinisse, sed omisisse ingratum poeseos genus, cum puellis carmina amatoria multo cariora esse intellexisset (vs. 33—36):

At facie tenerae laudata saepe puellae
  Ad vatem, pretium carminis, ipsa venit.
Magna datur merces. Heroum clara valete
  Nomina: non apta est gratia vestra mihi.

In praefatione autem libri tertii (III. 1.) Elegia et Tragoedia certant, ut Ovidium sibi adiungerent. Sed poeta utrique satisfacere vult: breve enim tempus Elegiae se sacraturum pollicetur, ut carmina amatoria ad finem perducat, deinde totum se Tragoediae dediturum dicit (vss. 67—68):

Exiguum vati concede, Tragoedia, tempus,
Tu labor aeternus, quod petit illa, breve est.

Epilogo libri primi (I. 15.) docemur, poetae inertiam obiectam esse ab invidis, cum neque militiae neque foro operam daret; homines enim stulti nullo modo intellegere potuerunt, id, quod poeta sibi proposuisset, multo esse maius multoque optabilius (vs. 1—8.):

Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos,
Ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
Praemia militiae pulverulenta sequi.
Nec me verbosas leges ediscere, nec me
Ingrato vocem prostituisse foro.
Mortale est, quod quaeris, opus. Mihi fama perennis
Quaeritur, in toto semper ut orbe canar.

Deinde famam carminum aeternam esse poetarum maximorum exemplis demonstrat seque similem sperare gloriam non sine superbia fatetur (vss. 39—42.):

Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,
Cum suus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
Vivam parsque mei multa superstes erit.

In fine libri tertii, eroticorum carminum epilogo (III. 15.) elegiae valedicit aeternamque sibi famam hoc poeseos genere partam esse confidit (vss. 19—20.):

Imbelles elegi, genialis Musa, valete,
Post mea mansurum fata superstes opus.

II. 18: amicum quendam, Macrum, poetam epicum alloquitur Ovidius, unde eum id temporis epistolis Heroidum scribendis operam navasse apparet. III. 9: epicedium in mortem Tibulli, principis elegiacorum, quem Elegia amicaeque carminibus immortales factae, Delia et Nemesis deflent. III. 13: descriptio festi Iunonis apud Faliscos celebrati.

CAPUT III.

De locis communibus eroticis.

Elegiae reliquae omnes erotici sunt argumenti. Ex his autem quivis poeseos antiquae peritus facillime eligere potest eas, quas ego *locorum communium eroticorum* nomine censeo notandas. Ita enim nomino ea carmina amatoria, quae cum ceteris elegiis non cohaerent versanturque in talibus rebus explicandis, quae in erotica Graecorum et Romanorum poesi iam pridem tritae, ut ita dicam, *in locos communes* abierunt. Neque enim poeta, quid ipsi acciderit quidque ipse corde animoque senserit, in hisce elegiis profert, sed repetit ea, quae apud alios scriptores legit, aut more Alexandrinorum fabulas quasdam eroticas copiose narrat. Ista igitur carmina sunt in libris Amorum minimi aestimanda, praesertim cum etiam scholae rhetoricae vixdum ab Ovidio relictae ineptias prae se ferant.

I. 6: Ianitorem durum, ut ad amicam intromittatur, frustra rogat amator, qui convivio quodam lautissimo relicto corona redimitus ebriusque ante fores friget. En tibi παρακλαυσίθυρον lege artis compositum, cuius plura apud antiquos poetas exstant exempla quodque nihil notabile nobis praebet praeter versum intercalarem *) carminibus bucolicis proprium, sed in elegia insolitum. I. 7: poetam propriae crudelitatis paenitet; furore enim propter aemulum quendam accensus manus dominae attulit, quare, ut hoc sacrilegium expiet, nunc vultum, oculos capillosque lacerandos praebet unguibus carissimis (vss. 63—66.):

At tu ne dubita — minuet vindicta dolorem —
Protinus in voltus unguibus ire meos.
Nec nostris oculis nec nostris parce capillis:
Quamlibet infirmas adiuvet ira manus.

---

*) Qua repetitione notatur infelicis amatoris impatientia:

Tempora noctis eunt, excute poste seram.

Ubi maxime memorabile est, quod versu intercalari elegia in strophas aequales octonis versibus constantes distribuitur.

Tritum autem fuisse in poesi antiquorum erotica hoc argumentum docet cum Horatii, Tibulli Propertiique carminibus collatio. I. 9.: Suasoriarum rhetoricarum modo explicatur thema: ***Militat omnis amans*** sortemque militis et amatoris omni ex parte similem esse longa comparatione demonstratur. I. 13.: auctor communi poetarum eroticorum more reprehendit Auroram,*) quippe quae finem faciat nocti voluptates praebenti amatoremque ab amica divellat. Totum hoc poema nihil aliud est, nisi invectiva quaedam rhetorica diligentissime disposita et cum enumeratione fabularum ad Auroram pertinentium aptissime coniuncta. II. 9.: ὕμνος κλητικός ad Cupidinem, quales alii poetae erotici ad Venerem canere solebant, ut amoribus suis prosperum daret eventum. II. 15.: poeta anulum donat amicae, sed maxime velit ipse in anulum mutari, ut semper cum puella esse possit. Argumentum iam inde ab Anacreonte pervulgatum. III. 3.: puella pulchra etiam peierare potest impune, cum pulchritudini dii ipsi omnia ignoscant (vss. 1—12.):

Ecce deos, i, crede! Fidem iurata fefellit,
    Et facies illi, quae fuit ante, manet.
Quam longos habuit nondum periura capillos,
    Tam longos, postquam numina laesit, habet.
Candida candorem roseo suffusa rubore
    Ante fuit: niveo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus: pedis est artissima forma,
    Longa decensque fuit: longa decensque manet.
Argutos habuit, radiant ut sidus ocelli,
    Per quos mentita est perfida saepe mihi.
Scilicet aeterno falsum iurare puellis
    Di quoque concedunt formaque numen habet.

Quibus perlectis nemini dubium esse potest, quin Ovidius hoc loco idem *thema eroticum* explicaverit, quod Horatius carmine notissimo in Barinen protervam (Carm. II. 8.). III. 6.: irritae preces ad amnem rapidum, qui retinet amatorem ad amicam properantem. Quod poeta nullo alio finxit consilio, nisi ut fabulas eroticas ad fluviorum deos pertinentes more Alexandrinorum enarraret. III. 10.: queritur poeta de rigido Cereris cultu, qui fe-

---

*) Confer Anth. Pal. V. 3. 172.

minas a viris separet dulcissimosque amores abrumpat; iniuste enim deam hoc instituisse, cum ipsa laetissimos dies in Creta cum pulchro Iasio transegisset. Quibus comparanda sunt ea, quae alii elegiarum scriptores de Isidis cultu dicunt.

CAPUT IV.

De quibusdam lasciviae confessionibus.

Separandae item sunt a ceteris elegiis ingenuae quaedam confessiones, quibus poeta lasciviam suam aperte declarat. Haec enim carmina, quamquam ingenio poetae procul dubio magis propria sunt, quam loci communes supra enumerati, nullo modo cohaerent cum reliquis elegiis mox explicandis. Itaque quarto libri secundi carmine (II. 4.) animum poetae nimis mollem esse docemur: amat enim omnium ordinum generumque puellas cupiditatesque eius diversissimis formis et dotibus pariter incitantur (vss. 9—10.):

> Non est certa meos quae forma invitet amores,
> Centum sunt causae, cur ego semper amem,

immo ne maturam quidem aetatem spernere videtur, ut ex ultimis versibus (vss. 45—48.) apparet:

> Me nova sollicitat, me tangit serior aetas.
> Haec melior specie corporis, illa sapit.
> Denique quas tota quisquam probet Urbe puellas,
> Noster in has omnis ambitiosus amor.

II. 10.: amicum Graecinum, qui uno tempore duas puellas amari posse negabat, contrarium esse verum proprio exemplo docet vss. 1—4.):

> Tu mihi, tu certe, memini, Graecine, negabas
> Uno posse aliquem tempore amare duas.
> Per te ego decipior, per te deprensus inermis
> Ecce, duas uno tempore turpis amo.

Qui dupplex amor valde cruciat poetam, neque tamen sine

amore vivere velit; nam etiam mortem suam hac vita dignam fore sperat (vss. 29—30.):

> Felix, quem Veneris certamina mutua perdunt.
> Di faciant, leti causa sit ista mei.

III. 7.: nocuit tamen ei, ut hoc loco narrat, nimius amor neque semper gloriose in Veneris castris militavit.

CAPUT V.

De primo elegiarum cyclo Corinnae nomine ornando.

Elegiae reliquae, de quibus supra non disputavimus, omnes in tres cyclos cohaerentes ita distribui possunt, ut unoquoque cyclo narratio quaedam erotica contineatur. Primus enim cyclus Corinnae nomine recte ornatur, alterum poeta nuptae cuidam nullo nomine notatae sacravit, in tertio denique cum meretrice quadam nobis pariter ignota rem se habuisse narrat.

Sed cum haec diversi argumenti carmina more veterum poetarum in tribus Amorum libris nullo ordine servato sint dispersa, ne in tali labyrintho a proposito fine aberremus, opus est nobis filo quodam Ariadneo, qua de causa nihil prius faciendum putamus, quam ut recte colligamus elegias ad Corinnam pertinentes, quibus ea continetur narratio, cuius cohaerentia diligenti lectori facillime apparet. Ita conserimus pulcherrimam elegiarum quasi coronam e sedecim carminibus constantem, quam duobus reliquis cyclis maiorem esse certe nemo mirabitur, cum notum sit omnibus Corinnam apud Ovidium easdem agere partes, quas apud Gallum Lycoris, apud Tibullum Delia, apud Propertium Cynthia egit; nam Corinna fuit Ovidii maxima cura, quamquam, sicut ceteri poetae hoc loco commemorati, ita ne noster quidem sprevit amores alios, quod mox videbimus.

Prologus igitur librorum Amoris (I. 1.) recte dici potest praefatio cycli Corinnae sacrati: poeta enim, ut ipse narrat,

arma et violenta bella paravit gravi numero edere, sed Cupido unum pedem surripuit, quare hexametro in pentametrum mutato e carmine epico elegia facta est; quo tamen deus ille lascivus non contentus poetam certa sagitta ita vulneravit, ut nihil praeter amores canere posset. I. 2.: poeta cupiditatibus amatoriis cruciatur, quamquam nullam adhuc vidit puellam amore suo dignam; sed tenues dei sagittae haeserunt in corde eius ibique ignem perpetuum suscitant (vss. 5—8.):

Nam, puto, sentirem, si quo temptarer amore.
An subit et tecta callidus arte nocet?
Sic erit: haeserunt tenues in corde sagittae,
Et possessa ferus pectora versat Amor. *)

Mortalis immortali resistere frustra conatur: iam videt animo triumphum Cupidinis, deum in curru columbis vecto stantem; inter captos iuvenes captasque puellas ducitur ipse poeta, quem Mens Bona et Pudor manibus post terga retortis sequuntur. I. 3.: poeta vidit puellam pulcherrimam, quae eum statim amore incendit; Venerem igitur invocat, ut a puella ametur. Non commendant eum magna maiorum nomina, cum equestri loco sit natus, ne opibus quidem abundat, cum parcus uterque parens sumptus eius temperet, sed eo carior est Phoebo, poetarum patrono eoque magis commendatur fide nulli cessura, moribus sine crimine, nuda simplicitate pudoreque purpureo. Poeta non est desultor amoris, immo usque ad supremum diem fideliter amare vult puellam; neminem praeter hanc unam carminibus celebrabit, hoc unum nomen immortale reddet. Corinnam ipsam in hac elegia nusquam nominat, sed procul dubio ad eam pertinent versus sequentes (vss. 19. 20.):

---

*) His verbis poeta in memoriam nobis revocare vult vss. 21—26 elegiae praecedentis (I. 1.):

pharetra cum protinus ille soluta
Legit in exitium spicula facta meum,
Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum,
Quodque canas, vates, accipe, dixit, opus!
Me miserum! certas habuit: puer ille sagittas:
Uror et *in vacuo pectore* regnat Amor.

Tu mihi materiem felicem in carmina praebe,
Provenient causa carmina digna sua;

nam Ovidius in Trist. l. IV. 10., ubi totum vitae cursum enarrat, prima se carmina Corinnae sacrasse ingenue confitetur (vss. 56—60.);

Carmina cum primum populo iuvenalia legi,
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Moverat ingenium *) totam cantata per urbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi.

Ad eandem certissime referendi sunt ultimi huius elegiae versus (I. 3, vss. 25—26.):

Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem,
Iunctaque semper erunt nomina nostra tuis.

Corinna enim fuit sola, quam Ovidius carminibus nominatim celebravit immortalique ornavit gloria.

Quomodo poeta voti compos factus sit, ex elegiis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, non elucet; sed verisimile est carmina ad hanc rem pertinentia omissa esse ab auctore ipso in Amorum editione altera, in qua quinque libros primum editos in tres coartavit. Iure enim hoc coniicere mihi videor e verbis Deae Elegiae ad poetam in l. III. 1, 49—52.:

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem,
Delabique toro tunica velata soluta,
Atque impercussos nocte movere pedes.

Cum autem ea, quae hoc loco de Corinna custodes fallente dicuntur, in elegiis, quae supersunt, frustra quaeramus, poeta carminibus in editione altera omissis, qua arte ad puellam diligentissime custoditam aditum sibi aperuisset, copiosius enarrasse putandus est. II. 12.: iam de victoria reportata agitur: Corinna, quam vir, custos, ianua firma hostesque invidi servabant, tandem aliquando in sinu amici est (vs. 1—4.):

---

*) Cf. Am. l. III. 12. vs. 16:
Ingenium movit sola Corinna meum.

Ite triumphales circum mea tempora laurus,
Vicimus: in nostro est ecce Corinna sinu,
Quam vir, quam custos, quam ianua firma, tot hostes
Servabant, nequa posset ab arte capi.

I. 5. lusus amoris dulcissimus; Corinna venit ad poetam, qui utitur occasione gratissima fructusque constantiae suae uberrimos capit. I. 11.: ad amicam ire cupiens litteras Corinnae scribit rogatque Napen, fidam Corinnae ancillam, ut tabellas statim dominae tradat; Corinna autem utatur eisdem tabellis rescribatque hoc uno verbo: *Veni!*; quod si evenerit, poeta victrices tabellas lauro redimire et in media Veneris aede deponere non morabitur. I. 12.: tristes litterae redierunt (vs. 2.):

Infelix hodie littera posse negat.

Quare poeta exacerbatus tabellas infelicissimi casus nuntias, deinde etiam lignum, ex quo tabellae factae sunt, et flores, e quibus apes ceram collegerunt, gravissimis verbis exsecratur. II. 6.: carmen lugubre in mortem psittaci loquacis, quem Corinna mirum in modum adamavit. II. 7.: Corinna poetam cum fusca Cypasside, ancilla quadam, rem habuisse non sine causa suspicatur (vss. 17. 18.):

sollers ornare Cypassis
Obicitur dominae contemerasse torum.

Reus autem indignabundus respondet (vss. 19. 20.):

Di melius, quam me, si sit peccasse libido,
Sordida contemptae sortis amica iuvet!

II. 8.: Corinnam recte iudicasse elegia sequenti docemur; poeta enim Cypassidem rogat, ut pro multis officiis pretium sibi dulce rependat; puella priore calamitate exterrita negat se amplius copiam sui facturam, quare poeta ira accensus minis respondet (vss. 25—28.):

Quod si stulta negas, index anteacta fatebor,
Et veniam culpae proditor ipse meae,
Quoque loco tecum fuerim, quotiensque, Cypassi,
Narrabo dominae, quotque quibusque modis.

II. 11.: Corinna longum iter facere navemque conscendere parat; poeta autem exsecratur perniciosam navigandi artem, horrenda maris monstra describit rogatque puellam, ut quam primum ad penates revertatur. II. 16.: poeta loco suo natali, Sulmone commoratur amoenamque Pelignorum terram pia quadam cura describit, sed cum amicam carissimam procul esse in mentem ei venit, maximo cum dolore exclamat (vss. 33—40.):

At sine te, quamvis operosi vitibus agri
   Me teneant, quamvis amnibus arva natent,
Et vocet in rivos currentem rusticus undam
   Frigidaque arboreas mulceat aura comas,
Non ego Pelignos videor celebrare salubres,
   Non ego natalem, rura paterna, locum,
Sed Scythiam Cilicasque feros viridesque Britannos,
   Quaeque Prometheo saxa cruore rubent.

Monet denique puellam, ne promissis stare amicumque rusticantem visere cunctetur (vss. 47—52.):

Si qua mei tamen est in te pia cura relicti,
   Incipe pollicitis addere facta tuis,
Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis
   Ipsa per admissas concute lora iubas;
At vos, qua veniet, tumidi subsidite montes,
   Et faciles curvis vallibus este viae.

Nomen Corinnae nusquam occurrit, sed tota elegiae indoles, quae veros castosque animi sensus prodit, poetam de Corinna cogitasse demonstrat; quare etiam hoc poema primo cyclo adnumerandum putamus. Recte autem nos ita statuisse facillime apparebit ex iis, quae mox de secundo tertioque elegiarum cyclo disputabimus; tunc enim videbimus, Corinnam fuisse solam, de qua Ovidius sine lascivia et protervitate mentionem facere potuit quamque, initio saltem, serio amavit. II. 13.: Corinna gravida facta, ne pulchritudinis iacturam*) faceret, commisit

*) Causam culpae satis declarant sequentis elegiae (II. 14.) vss. 5—8:

Quae prima instituit teneros convellere fetus,
   Militia fuerat digna perire sua.
Scilicet ut *careat rugarum crimine venter,*
   Sternetur pugnae tristis arena tuae?

culpam mulierum Romanarum eo tempore communem, sed non tulit impune (vs. 1. 2.):

Dum labefactat onus gravidi temeraria ventris,
   In dubio vitae lassa Corinna iacet.

Poeta amicam tantum scelus molientem ira sua dignam iudicat, sed iram opprimit metus; quare Isidem et Ilithyiam precatur, ut infelici puellae parcant. II. 14.: gravissimis invehitur verbis in matres inhumanas Corinnae similes, sed veniam precatur amicae, quae nunc primum peccavit; satis enim erit, si culpa secunda punietur (vss. 43—44.):

Di faciles, peccasse semel concedite tuto:
   Et satis est, poenam culpa secunda ferat.

II. 17.: poeta fideliter servit puellae, quae tamen male tractat amicum nihil tale merentem; non enim potest Corinnae dedecori esse is, qui nomen eius iam immortale fecit (vss. 27—34.):

Sunt mihi pro magno felicia carmina censu,
   Et multae per me nomen habere volunt.
Novi aliquam, quae se circumferat esse Corinnam,
   Ut fiat, quid non illa dedisse velit?
Sed neque diversi ripa labentur eadem
   Frigidus Eurotas populiferque Padus,
Nec, nisi tu, nostris cantabitur ulla libellis:
   Ingenio causas tu dabis una meo.

III. 12.: Corinna carminibus Ovidii toto orbe terrarum innotuit, qua de causa poeta multos iam habet aemulos tristibusque cruciatur suspicionibus (vs. 5—8.):

Quae modo dicta mea est, quam coepi solus amare,
   Cum multis vereor ne sit habenda mihi.
Fallimur, an nobis innotuit illa libellis?
   Sic erit: ingenio prostitit illa meo.

Certe melius fuisset heroas bellaque cantare neque amicam omnibus notam facere carminibus amatoriis!

Hic est finis cycli Corinnae nomine ornandi. Quem si diligenter perlegimus amicamque Ovidii cum Cynthia Propertii comparamus, discipulum magistro multo inferiorem esse fatea-

mur necesse est. Propertius enim Cynthiam ita versibus depingit, ut ea vere vivere, nervos sanguinemque habere videatur, Corinna autem Ovidii sicut umbra quaedam corpore carens lectori apparet. Ne id quidem, nuptane fuerit an meretrix, satis elucet; nam *vir* l. II. 12. commemoratus apud scriptores elegiarum non solum maritum legitimum significat, sed etiam amatorem, qui concubinam habet. *)

CAPUT VI.

De secundo elegiarum cyclo nuptae cuidam sacrato.

Quomodo Ovidius amorem nuptae cuiusdam sibi conciliaverit, docemur quinque elegiis, quas hoc loco enumerabimus. II. 2.: poeta non est iam timidus ille tiro in Cupidinis castris, qui Corinnae tempore fuit; nam, ut feminam pulcherrimam in porticu Danaidum conspexit, statim litteras ei misit amoris testes; femina autem respondet, nihil se audere posse, cum viri iussu ab eunucho quodam molestissimo custodiatur. Poeta igitur custodem alloquitur, quem donis corrumpere conatur. Servus enim, inquit, recte facit, si dominae molestus esse non vult neque amatores ab ea arcet, nam saepe evenit, ut vir servo dominam accusanti non modo non credat, sed poena etiam crudelissima afficiat indicem immeritum (vss. 47—48.):

Vidi ego compedibus liventia crura gerentem,
Unde vir *incestum* scire coactus erat.

Attulimus hos versus, quia verbum gravissimum, *incestus*, satis demonstrat, *virum* in hisce elegiis significare maritum legitimum agique in secundo cyclo de quadam honestae condicionis femina. II. 3.: custos preces amatoris exaudire non vult; poeta servum tam rigidum esse non miratur, cum eunuchus amorem ipse non sentiens ne aliorum quidem amores intellegere possit; iterum tamen temptat eum promissis vss. 17—18.:

*) Vide Art. am. l. III. vss. 579—658.

Aptius ut fuerit precibus temptasse, rogamus,
Dum bene ponendi munera tempus habes.*)

III. 4: poeta maritum ipsum alloquitur; frustra enim, inquit, vir corpus uxoris custodiendum curat**), si mens feminae adultera est, praesertim cum ne iustum quidem sit ingenuam tam humili saepire custodia; ceterum Romae mariti, qui urbanos mores habent neque rustici haberi volunt, adulterio uxoris minime offenduntur (vss. 37—40):

Rusticus est nimium, quem laedit adultera, coniunx
Et notos mores non satis urbis habet:
In qua Martigenae non sunt sine crimine nati
Romulus Iliades Iliadesque Remus.

Denique maritum ita consolatur vss. 43—48:

Si sapis, indulge dominae, vultusque severos
Exue nec rigidi *iura****) tuere viri,
Et cole, quos dederit — multos dabit — uxor amicos,
Gratia sic minimo magna labore venit.
Sic poteris iuvenum convivia semper inire,
Et, quae non dederis, multa videre domi.

I. 4: poeta hoc consilium non frustra dedisse videtur, nam maritus, ut in hac elegia legimus, una cum uxore et amatore uxoris convivium lautissimum celebrat. Amator iam voti com-

---

*) Eunuchum esse custodem e priore elegia (II. 2.) nondum elucet, sed has elegias artissime cohaerere testatur praeter argumentum ipsum I. II. 3. vs. 15:

Fallere te potuit, quamvis habeare *molestus*,

quod certissime referendum est ad l. II. 2. vs. 8:

Quod nimium dominae cura *molesta* tua est.

**) Ad II. 2. referendi sunt l. III. 4. vss. 1—2:

Dure vir, imposito tenerae custode puellae
Nil agis.

***) Etiam haec verba demonstrant, hoc loco de legitimo agi matrimonio; idem testantur sequentis elegiae (I. 4.) vss. 63.—64:

Oscula iam sumet, iam non tantum oscula sumet:
Quod mihi das furtim, *iure* coacta dabis.

pos factus est,*) sed eo magis cruciatur invidia, cum videt amicam viro oscula dantem, quare monet eam, ne marito multa concedat; denique docet, quomodo amantes praesente viro occulta mutui amoris signa dare possint. II. 19: poetam huius amoris iam-iam taedet; maritus enim, qui antea uxorem diligentissime custodierat, nunc meliora edoctus nimium indulgens factus est, quod poetae minime placet, quia (vss. 3—4.):

Quod licet, ingratum est, quod non licet, acrius urit,
Ferreus est, si quis, quod sinit alter, amat.

Monet igitur primo maritum, ut uxorem maiore cum cura custodiat, deinde amicam, ut fictis saltem impedimentis tepidos amoris ignes resuscitare conetur, sicut olim Corinna fecit (vss. 9—18):

Viderat hoc in me vitium *versuta Corinna*:
Quaque capi possem, callida norat opem.
A! quotiens sani capitis mentita dolores
Cunctantem tardo iussit abire pede!
A! quotiens finxit culpam, quantumque licebat
Insonti, speciem praebuit esse nocens!
Sic ubi vexarat tepidosque refoverat ignes,
Rursus erat votis comis et apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat!
Oscula, di magni, qualia quotque dabat!**)

Quae verba satis demonstrant poetam hoc tempore iam non fuisse amore ita caecum, ut in cyclo priore vidimus, pridemque abiecisse indignum versutae Corinnae iugum.

---

*) Quod vss. 21—22. testantur:

Cum tibi succurret Veneris lascivia nostrae,
Purpureas tenero pollice tange genas.

**) Huius elegiae vs. 19:

Tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos

referendus esse videtur ad l. II 2. vss. 3—5:

Hesterna vidi spatiantem luce puellam
Illa, quae Danai porticus agmen habet.
Protinus, ut placuit, misi scriptoque rogavi.

CAPUT VII.

De tertio elegiarum cyclo meretrici cuidam sacrato.

Amorem Ovidii erga meretricem quandam novem elegiae narrant. III. 2: poeta in circum venit, ut loqueretur cum puella sibi iam nota, quae ludos sola spectat,*) unde eam non esse honestae sortis feminam statim apparet. Iuvenis gaudet hanc sibi oblatam esse occasionem amoris declarandi (vss. 1—6):

Non ego nobilium sedeo studiosus equorum:
   Cui tamen ipsa favet, vincat ut ille, precor.
Ut loquerer tecum, veni, tecumque sederem,
   Ne tibi non notus, quem facis, esset amor.
Tu cursus spectas, ego te: spectemus uterque,
   Quod iuvat atque oculos pascat uterque suos.

Itaque parvis quibusdam officiis gratiam puellae sibi conciliare conatur; monet enim illum, qui post eam sedet, ne rigido genu tergum amicae premat, tollit deinde pallium eius, quod in terram delapsum iacebat, eo potissimum consilio, ut crura formosa conspicere possit, tum faciles ventos arcessit flabello, ut aestum leniat, denique vestem puellae pulvere conspersam purgat. Non frustra autem poetam laborasse docent ultimi versus (83. 84.):

Risit et argutis quiddam promisit ocellis.
   Hoc satis hic, alio cetera redde loco.

I. 8: poeta forte invitusque testis est sermonis lenae vetulae, quae puellam iussu iuvenis cuiusdam divitis in stuprum illicere temptat. Anus enim poetam pauperem cum amatore pecunioso hunce in modum comparat (vss. 57—62.):

---

*) Puellam ludos solam spectasse vss. huius elegiae 27—24. docemur:

Quid frustra refugis? cogit nos linea iungi:
   Haec in lege loci commoda circus habet.
Tu tamen a dextra, quicumque es, parce puellae:
   Contactu lateris laeditur ista tui.

Ecce, quid iste tuus praeter nova carmina vates
Donat? Amatoris milia multa leges.
Ipse deus vatum palla spectabilis aurea
Tractat inauratae consona fila lyrae.
Qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero,
Crede mihi, res est ingeniosa dare.

Deinde utilibus instruit praeceptis puellam, quomodo plures viros uno tempore amare et fallere possit. I. 10: puella docilis non sine fructu audiit monita lenae; iam dona poscit a poeta miserrimo, qui in avaritiam, maximam aetatis suae culpam amare invehitur iuraque poeseos ita defendit (vss. 59—64):

Est quoque carminibus meritas celebrare puellas
Dos mea: quam volui, nota fit arte mea.
Scindentur vestes, gemmae frangentur et aurum:
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.
Nec dare, sed pretium posci dedignor et odi.
Quod nego poscenti, desine velle, dabo.

I. 14: poeta saepius monuit puellam, ne capillos medicaret; sed ea more aetatis illius hoc facere eo usque non desiit, donec capilli exciderunt. Nunc iam „captivis Germinae crinibus" eget, quare poeta acerrime nimium feminarum luxum castigat, denique tamen amicam ita consolatur (vss. 55—56):

Colligo cum vultu mentem! Reparabile damnum est.
Postmodo nativa conspiciere coma.*)

III. 5: poeta malo cruciatur somnio: vidit enim vaccam albam et taurum in campo una iacentes; deinde tauro obdormiscente cornicem venisse alis delapsam et vaccae niveae pectus rostro ita fodisse, ut vulneris loco niger livor remaneret; tum vaccam diu cunctatam locum taurumque reliquisse et aliorum taurorum se immiscuisse gregi. Augur a poeta interrogatus nocturnas imagines ita explicat (vss. 37—44):

---

*) Meretricem fuisse puellam vss. 17—18. huius elegiae docemur:

Ante meos saepe est oculos ornata nec unquam
Bracchia derepta saucia fecit acu.

Scimus enim more receptum fuisse apud meretrices, ut coram amicis ornarentur.

Vacca puella tua est, aptus color ille puellae,
Tu vir in vacca compare taurus eras.
Pectora quod rostro cornix fodiebat acuto,
Ingenium dominae lena movebat anus,*)
Quod cunctata diu taurum sua vacca reliquit,
Frigidus in viduo destituere toro.
Livor et adverso maculae sub pectore nigrae
Pectus adulterii labe carere negant.

III. 8: somnium illud non fuit vanum; dives enim aemulus, miles quidam durus, qui in bellis opes congessit, praeponitur poetae de nimia auri potentia ita querenti (vss. 1—4):

Et quisquam ingenuas etiam nunc suscipit artes,
Aut tenerum dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro,
At nunc barbaria est grandis habere nihil.

Puella autem infidelitatem celatura maritum sibi esse seque ab eo custodiri fingit, quo tamen mendacio minime fallere potest poetam (vss. 63—64):

Me prohibet custos, in me timet illa maritum,
Si dederim, tota cedat uterque domo.

II. 5: puella in dies magis magisque proterva fit; nam una cum poeta convivium celebrans, cum amicum dormire putaret, alio iuveni haud dubia amoris signa dedit (vss. 13—20):

Ipse miser vidi, cum me dormire putares,
Sobrius apposito crimina vestra mero.
Multa supercilio vidi vibrante loquentes:
Nutibus in vestris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui conscriptaque vino
Mensa nec in digitis littera nulla fuit.
Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem
Verbaque pro certis iussa valere notis.

Quare poeta furore accensus hanc iniuriam verberibus ulcisci voluit, sed ut faciem amicae vidit maestam pudoreque rubentem, fortes lacerti ceciderunt eoque humilitatis provectus est, ut demum supplex ultro eam rogaret, ne sibi deteriora quam

*) Quae verba referenda sunt ad sermonem lenae in l. I. 8.

aliis oscula daret. III. 11: poeta infidelitatem iterum atque iterum obiicit puellae, quippe quae amicum fidelissimum pessime tractet; longam deinde repetit criminum seriem, ubi vss. 23—24:

Quid iuvenum tacitos inter convivia nutus,
Verbaque compositis dissimulata notis

sine dubio referendi sunt ad versus l. II. 5. supra allatos. Amicam igitur nullo dignam esse amore intellegit neque tamen turpibus cupiditatum vinculis se liberare potest (vss. 37—38):

Nequitiam fugio, fugientem forma reducit.
Aversor morum crimina. Corpus amo.

III. 14: poeta malos puellae mores emendari unquam posse desperat neque tamen sibi ipsi, ut eam relinquat, imperare potest; hoc unum igitur amicam rogat, ne aperte peccet, sed saltem dissimulare vitia conetur (vss. 1—6):

Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso,
Sed ne sit misero scire necesse mihi.
Nec te nostra iubet fieri censura pudicam,
Sed tamen, ut temptes dissimulare, rogat.
Non peccat, quaecunque potest peccasse negare
Solaque famosam culpa professa facit.

Talibus sententiis ad mores emendandos minime aptis scatet tota haec elegia, quae in tribus Amorum libris ultimum locum non sine causa obtinuisse videtur.*)

---

*) Tres igitur Amorum libros supra pertractatos in sex partes hunce in modum distribuendos putamus: 1. *Carmina non amatoria:* II. 1., III. 1., I. 15., III. 15., II. 18., III. 9., III. 13. — 2. *Loci communes erotici:* I. 6., I. 7., I. 9., I. 13., II. 9., II. 15., III. 3., III. 6., III. 10. — 3. *Lasciva quaedam:* II. 4., II. 10., III. 7. — 4. *Cyclus Corinnae:* I. 1., I. 2., I. 3., II. 12., I. 5., I. 11., I. 12., II. 6., II. 7., II. 8., II. 11., II. 16., II. 13., II. 14., II. 17., III. 12. — 5. *Cyclus nuptae cuidam sacratus:* II. 2., II. 3., III. 4., I. 4., II. 19. — 6. *Cyclus ad meretricem quandam pertinens:* III. 2., I. 8., I. 10., I. 14., III. 5., III. 8., II. 5., III. 11., III. 14.

CAPUT VIII.

Summa totius commentationis.

Carminibus igitur Amorum, ut supra vidimus, dispositis non erit iam ita difficile ordinem temporum, quo ea scripta sint, probabili assequi coniectura. Prima enim fuisse videntur, cum minime sint perfecta scholamque maxime redoleant, illa, quae *locorum communium eroticorum* nomine notavimus; inter cyclos autem cohaerentes antiquissimae sunt elegiae *ad Corinnam* pertinentes, quibus poeta primum amorem narrat; sequuntur deinde carmina *nuptae cuidam* sacrata (cf. II. 19); postremus denique est cyclus ad meretricem pertinens, cuius epilogum (III. 14.) auctor, ut iam diximus, non sine causa in fine libri tertii collocasse putandus est. Ceterum in hoc cyclo est ea elegia, quae etiam aliorum iudicio inter ultimas scripta esse videtur,*) l. I. 14., ubi poeta de crinibus amicae a Germanis mutuatis haec dicit (vss. 45 - 50):

Nunc tibi *captivos* mittet *Germania crines,*
Tuta *triumphatae* munere *gentis* eris.
O quam saepe comas aliquo mirante rubebis
Et dices: „Empta nunc ego merce probor.
Nescioquam laudat pro me nunc iste *Sigambram;*
Fama tamen memini cum fuit ista mea

Quae procul dubio ad victoriam Augusti de Sigambris reportatam (a. 739/15) sunt referenda.

Sed haec hactenus: nunc ad finem veniamus. Tres enim Amorum libros ab Ovidio nimium iuvene scriptos cum operibus Tibulli et Propertii matura aetate scriptis non posse sine iniuria comparari supra vidimus. Quare multa his elegiis inesse ab aliis aut de industria aut non sponte mutuata poetamque illo tempore, quo amores carmine celebrandos sibi proponeret, se vin-

*) Cf. *Schanz*, Geschichte d. röm. Lit. t. II. p. 131: „Das jüngste Ereignis, das erwähnt wird, ist der Sieg des Augustus über die Sigambrer im Jahre 15. v. Chr. (I. 14, 45).“

culis rhetoricae scholasticae liberare nondum potuisse nos quoque fatemur. Haec igitur carmina ingenio eius multo minus sunt propria, quam ea, quae in erotico genere postea composuit, quo factum est, ut ne Corinnam quidem ita vere vivideque describere possit, sicut Propertius Cynthiam. Neque tamen probamus eorum sententiam, qui Amores nihil praeter exercitamenta quaedam poeseos scholastica praeterque fabulas quasdam eroticas inter se non cohaerentes lasciviaeque causa excogitatas continere existimant; ita enim eae tantum elegiae possunt reprehendi, quas nos partim, ut *locos communes*, partim, ut apertas *lasciviae confessiones* a ceteris segregavimus. Sed quicunque *tres illos elegiarum cyclos* supra in ordinem probabilem redactos diligenter perlegerit, multa in Amoribus, quae poeta ipse expertus sit, ita tamen, ut vera fictis ubique permixta sint,*) inveniri atque ex tali carminum collectione, *quomodo poeta ex amatore tirone sensim magister amoris evaserit*, luculenter apparere certe non negabit.

Poeta enim iuvenis modestus humanarumque rerum inexpertus esse videtur, qui de fide aeterna, de amore usque ad supremum diem duraturo somniat, cum primos amores Corinnae offert eamque sic alloquitur (I. 3, 5 – 16):

Accipe per longos tibi qui deserviat annos;
  Accipe, qui pura norit amare fide.
Si me non veterum commendant magna parentum
  Nomina, si nostri sanguinis auctor eques,
Nec meus innumeris renovatur campus aratris,
  Temperat et sumptus parcus uterque parens:
At Phoebus comitesque novem vitisque repertor
  Hinc faciunt at me qui tibi donat, Amor,
Et nulli cessura fides, sine crimine mores,
  Nudaque simplicitas purpureusque pudor.
Non mihi mille placent, non sum desultor amoris:
  Tu mihi, si qua fides, cura perennis eris.

---

*) Hoc autem non solum in Ovidio, sed etiam in Tibullo Propertioque interpretandis maximi est momenti. Nam contenti esse debemus, si carminum ad unam puellam pertinentium *cohaerentiam*, ut ita dicam, *idealem* restituere possumus — neque enim aliter recta potest esse interpretatio — sed cavendum est, ne omnia re vera ita fuisse credamus.

Quare in elegiis Corinnae sacratis saepe intimos animi sensus declarari poetamque vero amore affectum esse videmus. Sed ex astris decidit, cum Corinnam, quam solus amare cepit, cum multis sibi habendam esse intellegit.*) In secundo autem cyclo, ubi cum nupta quadam rem se habuisse narrat, iam protervitate quadam offendimur; poeta enim non amore feminae, sed eo maxime delectatur, quod maritum stultum callide eludere potest. Eae denique elegiae, quibus meretricem celebrat, meram lasciviam prae se ferunt poetamque nihil iam amplius nisi futilem quandam sensuum voluptatem in amore quaesivisse testantur. In ultimo sane carmine ad meretricem scripto (III. 14.) iam inest summa illa doctrina, ad quam omnia *Artis amatoriae* praecepta referenda sunt: non posse in amore fidem postulari, perfidiam tamen diligenter esse celandam (Art. am. II. 389):

Ludite, sed furto celetur culpa modesto

Quare nemini mirum esse potest, quod in elegiis tertii cycli multa inveniuntur summatim tractata, quae auctor postea in *Arte amatoria* copiosius exposuit, quodque nonnullos versus paene ad verbum ex Amoribus in Artem amatoriam transtulit. Ut igitur Ovidius ipse illud opus, in quo scientiam suam experimento collectam ad iuventutem utriusque sexus instituendam publici iuris fecit, *Artem amandi* nominavit, ita nos *tres Amorum libros*, ubi poeta enarrat, quomodo suis damnis edoctus magister amoris factus sit, iure possumus *Palaestram amoris* appellare.**)

---

*) Poeta enim, donec eam amat, amicam sibi fidam fore credit. Postea sane, cum primum amorem frigido iam corde respicit, Corinnam *versutam* nominat perfidasque eius artes demum pervidet. Cf. II. 19, 9—18.

**) Hanc commentationem iam anno MDCCCXCII Academiae Litterarum Hungaricae proposueram edideramque in ephemeride Hungarorum philologica, quae „Egyetemes Philologiai Közlöny“ inscribitur (t. XVI. p. 625). Nunc autem, ut in republica litterarum civitate donaretur, in Latinum conversam iterum atque castigatius edendam curavi.